



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 82. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. v. 56.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

corporis & sanguinis sui in remissionem peccatorum, atque omnia hæc usque modo non erant impleta ideo nequaquam antea capere eum Iudæi valebant; nunc pene impletis valent.

Bone Iesu omnia disponis semper suaviter ordine in pondere, sapientia & mensura. capi noluisti, donec omnia impleta essent de te quæ mortem tuam præcedere debebant. Da gratiam, mihi ut omnia mea ita disponam ante mortis meæ horam in ordine, pondere, sapientia, & mensura, ut gaudeam in illa hora tecum dicens: *Consummata sunt omnia bene iuxta voluntatem tuam, & tunc tecum, mi Salvator, ero paratus reddere spiritum meum in manus Dei patris creatoris mei.*

§. 8. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. v. 56.

Cum audissent discipuli quod huc usque eius passio dilata fuisset, quoad implerentur scripturæ, quodque ex iam impleta, essent circa se ideoque lubens traderet se Iudæis, viderentq; discipuli tam crudeliter modo vincitum & à canibus illis rabidis tam miserandum in modum abduci, vim defendentis Petri inhibitam &c. tunc discipuli timore perterriti dilectum Magistrum suum in fugam versi, reliquerunt, & sic ipsi quoque impleverunt suam partem scripturas.

Vere iam prophetia impleta est de qua Christus prædixerat percutere pastorem & dispergentur oves gregis. Zach. 2. Disce hic, ô homo, non præsumere de te ipso, quantum vis tibi firmus videaris, nisi enim tibi adsit Deus præsidio forti & auxilio suo magno statim animo concides. Quam solidus in fide videbatur sibi Petrus, qui tam serio asserebat, quod paratus esset cum Christo in carcerem & mortem ire. Iacobus item & Ioannes qui calicem Domini bibere se posse dicebant, similiter & Thomas qui aliquando mori cum Christo ipse volebat & alios ad idem hortabatur: sed instante tentatione Christum reliquerunt & fugerunt omnes. unde verissime David psal. 29. ait: *Avertisti faciem tuam à me & factus sum consurcatus.*

O Magister benignissime ô dulcissime Pater, ô suavissime Domine qui nos tot diebus in deliciis nutris ac velut filios proprios sollicitè custodis, studiosè erigis, sapientia instruis, & velut cor tuum fidissime diligis. quoties etiam ego cum hisce fugitivis, (cheu!) à te recessi, & in dies recedo ad omnem occasionem! Tu tamen, pie Iesu idem es qui discipulos tuos constantes post hæc fecisti & confirmasti in bono missione spiritus Sancti tui. Emitte igitur super me etiam spiritum tuum & creabuntur omnia in me, & renovabis faciem cordis mei in vera fide, spe firma & charitate perfecta, ut amplius à te non recedam in æternum.